Dissertatio medica inauguralis de morbis senectutis ... / submittit Petrus Buteux.

Contributors

Buteux, Petrus.
Albinus, Bernhard Siegfried, 1697-1770

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Apud Joh. Arn. Langerak, 1726.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/cknwadrk

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

W Houghton
10

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE MORBIS SENECTUTIS.

QUAM,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. BERNARDI SIEGFRIED ALBINI,

MEDICINÆ DOCTORIS, ANATOMES, ET CHIRURGIÆ IN ACADEMIA LUGDUNO BATAVA PROFESSORIS ORDINARII:

NEC NON

Amplissimi SENATUS *Academici Consensu, & Nobilissimæ Facultatis* MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè & legitimè consequendis,

Publico ac solenni Examini submittit.

PETRUS BUTEUX, Medioburgo-Zelandus.

Ad diem 21. Junii 1726. hora locoque solitis.

LUGDUNI BATAVORUM,

Apud JOH. ARN. LANGERAK. 1726.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS DE MORBIS SENECTUTIS.

§. 1.

MAximam inter Corpora animalia adeoque & humanum, de quo erit ſermo, & inter Vegetabilia eſſe ſimilitudinem, ut jam olim Viri Egregii ſcripſere, ſic nos hodie ſatis evidenter ſcimus. Hæc enim ſimilitudo non ſolum obtinet in ſtructura partium quarumdam ſimili, neque etiam in organis iiſdem operationibus in utroque corpore perficiundis communibus, ſimilibuſque deſtinatis, uti generationi, nutritioni &c., in quibus quanta ſit convenientia, docebunt *Malpigii* & aliorum obſervata. Verum præter hæc omnia aliquid duobus hiſce Corporibus commune eſt, quo intellecto, etiam rerum imperitiſſimus inter hæc corpora analogiam intelliget, ſcil: utriuſque hujus corporis Ætatis, ſeu Vitæ curſus in tres partes diviſio, deſumpta à quibuſdam in hiſce corporibus, certo tempore factis, mutationibus, magis minuſve manifeſtis.

Prima harum pars incipit cum molliſſima illa humani Corporis recenter nati teneritudine, (licet enim ſciam ad hanc primam partem etiam pertinere illud tempus, quo conceptus fit in Utero uſque ad illud, quo fœtus in lucem editur; tamen quia mutationes, quæ hoc tempore fiunt, adeo inſenſibiles ſunt, neque obſervatori omni tempore opportunitas datur ſenſibiles obſervandi, ideo à nato homine tantum fit initium) pergitque per innumeros corporis incrementi gradus, ad tempus illud quo homo ad incrementi ἀκμὴν pervenit, quæ eſt annus vigeſimus quintus. Habet interim hæc prima Ætas, quemadmodum & reli-

quæ, ſub ſe alias Ætatis ſubdiviſiones, ut Pueritiam, Pubertatem, Adoleſcentiam &c.: quibus examinandis ſuperſedemus. Huic nunc primæ animalis Ætati reſpondet etiam prima corporis plantaris Ætas, quæ incipit dum tenera valde adhuc planta primô prodit de terra, quæ ſenſim magis magiſque frondeſcit, parteſque explicat, & pergit etiam ſic creſcere ad illud tempus, quo florem gerit, quod ultimum eſt naturæ opus, accepitque tunc incrementi terminum. Altera, (ut in hiſce brevis ſim) humanæ Ætatis pars incipit ab ultimo prioris Ætatis termino, à quo homo ad aliud iterum tempus, cujus terminus eſt annus quinquageſimus, perſtat, h. e. increſcit nec decreſcit, niſi natura impediatur. In hac Ætate homo ſtatum roboris &c. jam accepiſſe videtur. Cum hac ſecunda hominis Ætate & illam corporis plantaris conferri poſſe puto; hæc quoque abſolvit omne illud tempus, à quo incepit flores gerere, uſque dum illi iidem decidui fiunt; per totum hoc tempus Planta perſtitit, h. e. non crevit neque decrevit; niſi quædam infortunia illis accidant. Tertia tunc ſequitur corporis plantaris Ætas, incipiens ab illo tempore, quo florem deponere incipit, pergitque ſic omne illud tempus, quo hoc corpus multa ſui decrementi & interitus ſigna præbet, ut ſunt foliorum ariditas, canities, curvaturæ, lapſus &c.; donec tandem penitus interierit.

Huic nunc periodo reſpondet & ultima humanæ Ætatis pars. Incipit hæc ab ultimo ſecundæ Ætatis termino, h. e. ab anno quinquageſimo, pergitque per infinitos corporis decrementi gradus, multa quoque ſigna ejus interitus præbens, quorum quædam in initio fateor, vix manifeſta, ſed poſtea manifeſtiſſima evadunt; & tandem terminatur ad ultimum illud Vitæ punctum, quo homo vivere deſiiſſe dicitur: quod eſt annus ſeptuageſimus quintus, vel octogeſimus, plus minuſve, prout homo Vitam magis vel minus longam ducit; ad hos enim annos humanæ Ætatis curriculum à temporibus *Moyſis* ad noſtra uſque ut plurimum ſubſtitiſſe viſum eſt: adeo ut anni, quibus homo creſcit, perſtat, decreſcit, numero quodammodo inter ſe conveniant; nam cuique Ætatis parti annos attribuimus viginti & quinque, qui ter ſumpti integram hominis Ætatem abſolvunt. Interim monere hic debeo, dicta hæc in omnibus accurate non obtinere, ſed mire hæc variare pro variis circumſtantiis, præcipue

cipue pro Vitæ conditione, verum si naturæ liber cursus concedatur, tunc dicta & dicenda adhuc locum habere volo.

Quemadmodum in duabus reliquis, sic præcipue in tertiæ hujus Ætatis progressu humanum corpus multis morbis obnoxium evadit: mirabiliter enim illud in sua structurâ & functionibus mutari cernimus; æquilibrium sc. illud inter solida & fluida, per quod antea corpus perfecta sanitate fruebatur, vacillare incipit, h. e. solida copiâ & viribus fluidis prævalere sensim incipiunt, unde functiones à debita proportione motus & resistentiæ solida inter & liquida pendentes à sanis deflectere incipiunt: Unde multa mala & incommoda à causis illi Ætati tantum propriis pendentia hominem invadunt; nam revera ut cuique Ætati sua peculiaris est sanitas, ita suæ sunt molestiæ suusque morbus, unde hi in pueros, illi in adultos, alii in Senes, Auctore *Hippocrate*, sævire consuevere morbi. Corpus nunc, quodcunque morbosâ hâc in solidis partibus diathesi, morbisque ex hac ut causa productis laborare incipit, ad Senectutem pervenisse dicimus, quæ in initio pauca & obscura adhuc suæ præsentiæ indicia præbet, verum postea plurimis & manifestissimis stipata se prodit signis, & sic perfecta evadit. De hisce nunc *Senectutis Morbis*, sive *Senectute Morbosa* Dissertationis materiam, ut egregiæ Academiæ Legi satis fiat, eligere lubuit. Non dubito, quin Benevolus Lector inveniat forte minus consona, & prætervisa quædam, quæ necessario addenda esse judicabit. Sed materiam tam gravem, & à paucis pertractatam, à me Juvene adhuc, paucarum rerum perito, pro dignitate tractari posse, quis exspectaret? Interim ut ea, quæ legendo collegi, & ex doctorum Virorum ore hausi, huc spectantia, grato animo accipiat Lector, etiam atque etiam rogo.

§. 2. Ex paucis itaque, quæ (§. 1.) dixi, credo liquet, cum dico me de Senectutis Morbis acturum, non omnes indigitare morbos, qui corpora senilia sine differentia invadunt, inter quos quidam cuicunque Ætati communes, & à diversissimis causis externis pendentes sunt: sic v. g. Pleuritis, Angina, Variolae, Febres quaecunque aliquando invadunt æque corpus juvenile, vel alius ætatis ac senile, propter eandem aëris constitutionem, vel idem vitium in sex rebus non naturalibus commissum. Sed de his morbis minime instituitur præsens inquisitio; verum de iis,

qui in corporibus ſenilibus ſolis fiunt ex neceſſitate, & quidem à cauſis illi ætati tantum propriis; & qui reverà tantum contingunt per *Privationem* & *Indigentiam*, non vero per *Violentiam*. Suntque hi numeroſi ſatis, adeo ut omnes corporis functiones ſenſim lædi, totuſque ejus habitus mire depravari incipiant. Horum tamen omnium, facie quamvis maximè diverſorum, cauſam primam crediderim quærendam in morboſa illa (§. 1.) partium ſolidarum diatheſi, quâ natâ ſtatim & liquida in conſenſum trahantur, & ſic omnes illi morbi facile producuntur.

Ut autem horum omnium diſtincta (quantum poſſibile erit) fiat enarratio, primo videbimus, quomodo Corpus humanum à natura diſpoſitum ſit, ut ſenſim hos morbos ſic producat: (qui etenim naturæ vias non noverit, quomodo is illi quodammodo occurrere poſſit, optime rogat *Verulamius*.) tunc ſecundo examinandi ſunt ipſi affectus à mutata fabrica ſeneſcentis corporis producti: ſed eo iterum ordine, ut, quantum fieri poteſt, agamus primo de illis qui primi apparent, quique incipientis tantum Senectutis indicia præbent, dein, qui eam magis provectam, & tandem qui Senectutem perfectam demonſtrant, & quibus ultimo Mors ſenilis harum Ærumnarum finem imponit; de quâ pauca quoque erunt annotanda. Videamus ergo.

§. 3. Corpus humanum poſtquam primam (§. 1.) ſuæ ætatis periodum percurrit, h. e. ad ſui incrementi terminum pervenit, haud diu in ſecunda ſubſequente manere poteſt, quamvis in hac Ætate credibile ſit corpus perfectiſſima omnium Sanitate frui, cæteris ſc. paribus; vaſa enim ſunt eo tempore maxime in æquilibrio cum ſuis humoribus; ab hoc enim æquilibrio ſanitatem maxime pendere quis negabit. Verum idem illud corpus à ſummo Conditore ſic eſt fabrefactum, ut per ipſam vitam perque actiones à vita inſeparabiles ſenſim ſic mutetur, ut à ſanitate diſcedat, & ad varios producendos morbos aptum evadat, ſicque ad ſui interitum tendat. Per Vitam enim hic intelligo aſſiduum illum humorum circuitum, ſeu actionem in vaſa horumque in liquida reactionem, quâ perdurante quamvis minimâ, animal vivere adhuc dicitur. Hæc enim humorum actio in vaſa corpus ex minimâ & molli in vaſtam & ingentem, qualis eſt hominis adulti, molem excreſcere fecit, eique dein ſuum robur & conſtantiam pro tempore conciliat, & tandem denuo idem illud

lud perire & decrescere facit. Adeo ut homo, licet ab externis quantum fieri potest injuriis immunis, per propriam vitam destruatur. Hoc autem revera sic fieri, ex sequentibus, ut puto, concipiemus.

§. 4. Totam nostram machinam, quoad solida ex vasis minimis h. e. ex nervis concrevisse probabile valde reddunt *Malpigiana* in pullo, & *Ruyschiana* in Embryone observata; sc. utrorumque horum Corporum stamina prima esse Cerebrum, Cerebellum cum Carina, & ex his minimis reliqua sensim majora, donec tandem ad vas maximum perventum sit, crevisse, credibile est. Interim quædam ex his minimis, quamdiu homo vivit per actionem §. 3. descriptam abolentur & consolidantur, ita ut vasis naturam amittant: sed talis quædam abolitio in corpore nascente & nato omnino requirebatur, ut sensim machina hæc suum robur & firmitatem in diversis partibus variam acquireret, pristinamque mollitiem & teneritudinem deponeret, & sic injuriis inevitabilibus, quibus infans impar est, resistere posset. Verum postquam jam homo ad sui incrementi terminum pervenit, & requisitam in solidis partibus firmitatem & robur acquisivit, adeo ut ex harum considerata proportione, ratione ad fluida habitâ, homo diu sanus persistere posse videretur, tamen perdurante eadem illa actione in vasa ut prius, sequentia fiunt.

§. 5. 1°. Partes nostrorum solidorum minimæ, quarum applicatione sibi mutuo fiunt fibrillulæ solidæ, per repetitam Vitæ Actionem tam valide compinguntur & adunantur, ut requisita in his flexilitas pereat, h. e. partes continuo magis resistunt illi fluidorum actioni, quæ omnino harum resistentiam superare debet, ut fiant illi effectus qui in sanitate obtinent: adeo ut hîc jam partes solidorum minimæ morbo laborare incipiant: hæ denuo fibræ ad se mutuo applicatæ faciunt membranam minimam, unde idem vitium obtinebit in hac membrana: sed quia in tali membrana non modo Elementa, juxta longitudinem sibi apposita, magis compinguntur, sed etiam fibra ad fibram juxta latera, hinc cohæsio seu resistentia in tali membrana major est quam in fibrâ; & hæc sic augetur prout plures tales fibræ sibi apponuntur. 2°. Vasa minima ex fibris vel membranâ (n°. 1. hujus §.) in se convolutâ patientur eadem, sed cohæsio in iis multo major fit, nam fibræ, quæ in membrana extremæ erant, in vase etiam co-

cohærent ſibi adeo, ut nulla ſit quin ubique alteri cohæreat. Hinc tale vaſculum fit minus flexile, h. e. actioni ſui fluidi percurrentis magis reſiſtens: nam fibræ conantur nunc magis ſe applicare ad axin ſui canalis, quem formant, hinc vas redditur anguſtius, ſimul & brevius, unde expulſioni & repulſioni ſui fluidi continuo magis idoneum fit; ſed hoc maxime per actionem liquidi per vaſa majora fluentis contingit. 3°. Vaſa majora (n°. 2. hujus §.) voco quorum latera, ſeu membranæ, non conflata ſunt ex fibris ſibi varie appoſitis, quemadmodum priora, ſed quæ conſtant ex vaſis minimis loco fibrarum, applicatu vel intortu unitis cavum formantibus. Vas denuo majus, quam hoc, voco, cujus latera non componuntur ex vaſis minimis, ſed ex vaſis ſecundi generis, quorum latera adhuc conſtant ex minimis; ſicque revera pergere poſſemus, donec ad vas maximum perventum ſit; quodque hoc in corpore obtineat, quis hodie dubitat? Ponamus, pro exemplo, Arteriam Aortam, utpote vas in corpore maximum, illud ex quinque tunicis conſtare dicitur, & revera in tot & forte plures dividi poſſet: exterior ejus tunica ab extima pericardii membranâ orta, nonne tota quanta vaſculis à coronariis datis conſtat? omnino. Membrana ergo hæc extima non conſtat fibris ſed vaſis, quæ vaſa, quia adhuc ſunt maxima inter minima, nondum conſtant fibris, ſed aliis vaſis minoribus, donec tandem perventum ſit ad minimum vas ex fibris conflatum. Poſitis his, videamus quid his vaſis accidat.

§. 6. Majora hæc vaſa, quatenus ex minimis vaſis conſtant, primô patientur eadem mala (n°. 1. 2. §. 5.) unde etiam robur in his mire augetur propter majorem cohæſionem in minimis. Sed ſecundô, altera majoris roboris ratio pendet à motu liquidi, per majorem canalem continuo ruentis, ejuſque latera diſtendentis, quæ cum ex vaſis conſtant continuo à diſtenſione comprimuntur, ſic ut latera minimorum ad ſe magis magiſque accedant, & liquidum continendum tandem expellant: quo expreſſo concreſcunt mox latera; quod ubique in corpore fit, ubi liquidum ſeſe inter duas membranas interponens conſumitur vel deficit: Videmus hoc in Pleuritide, ubi pleura cum pulmonis membranâ ſæpiſſimè concreſcit: aliquando etiam inteſtina ſic concreſcunt; idem videmus ubi panniculus adipo-

ſus

ſus eſt conſumptus à morbo quocunque, quod ipſe tendo concreſcat cum partibus vicinis, unde membri immobilitas, & quæ plura ejuſmodi. Lateribus vaſorum ſic unitis, vas illud perit, ut & functio ab ejus integritate pendens, naturamque fibræ ſolidæ vel membranæ induit, ſed longe craſſioris & fortioris quam erat membrana hujus vaſis minoris nondum concreti: Idem denuo illud contingere poteſt in ſubſequentibus vaſis, per diſtenſionem liquidi decurrentis per vas cujus latera iterum format, & ſic progredi poſſe videtur minimorum jactura, donec nulla niſi maxima ſuperſint vaſa. Probabile enim eſt fuiſſe tempus quo noſtræ fibræ conflatæ tantum fuere ex minimis partibus, & omnes noſtri canales ex fibris minimis; ſed haud diu duravit, nam jam in utero materno fiunt ungues, cartilagines & oſſa, adeo ut à prima hominis origine per totam ejus vitam continuo vaſa quædam comprimi, concreſcere, & deleri, probabile ſit: unde quoque videmus, actionem vaſis maximi eſſe deſtructionem minimi; nam hoc patitur actionem liquidi per vas majus ruentis: quo nunc fluida majori impetu, & copiâ per vaſa majora feruntur, eo minimorum abolitio continget citius; per quæ omnia robur & cohæſio in vaſis majoribus inſigniter increſcunt; nam hic non modo elementa juxta longitudinem ſibi magis adunantur, neque ſolum fibræ ad ſe mutuo magis compinguntur, ſed huc accedit tertiô, conſolidatio vaſorum minimorum, quæ nunc tamquam novæ membranæ ſolidiores reſiſtentiam in vaſis majoribus mire augent; horum nunc latera, propter auctam fibrarum orbicularium in omni peripheriæ puncto reſiſtentiam, ſeſe valide contrahunt; contrahunt ſeſe quoque magis fibræ longitudinales, unde hæ ambæ minuunt vaſis capacitatem: unde liquida per vaſa hæc majora, vel maxima fluentia, inſignes iterum patiuntur mutationes; de quibus in tranſitu quædam etiam annotabimus. Quia nunc ubique per corpus vaſa hæc ſunt diſtributa, & majora vicinis minoribus accumbunt, hinc ubique fiet hæc abolitio, ne induriſſimis quidem oſſibus exceptis. Quid enim olim oſſa aliud fuere, quam vaſa, quæ conſolidata membranæ, cartilagines, & tandem oſſa evaſere; quæ ſenſim magis magiſque conſolidantur & vaſis deſtituuntur? Unde in his & reliquis partibus, ſic mutatis, mira occurrunt phænomena, de quibus poſtea.

§. 7. Ex iis itaque, quæ (§. 6.) diximus, ni fallor patet, quonam morbo homo ad tertiæ suæ Ætatis finem pergens laborare incipiat? defectu sc. vasorum minimorum, & ex hoc præcipue natâ in partibus solidis rigiditate, quæ cum sit præcipuus Senectutem concomitantium morbus, simul & causa aliorum plurium morborum, quædam de hâc Rigiditate, antequam ad alia pergam, dicenda judicavi.

§. 8. Per Rigiditatem itaque (ut optimâ *Clariss. Boerhaave* definitione utar) intelligo validam illam partium minimarum fibras, fibrarum membranas (n°. 1. §. 5.), membranarum vasa minora (n°. 2. §. 5.), vasorum minorum majora (n°. 3. §. 5.) &c. constituentium cohæsionem, qua fit ut hæ partes se mutuo trahentes & accurtare conantes, vix amplius cedant illi motui impresso, per quem omnino moveri & in cohæsione mutari deberent, ut obtinerent illi effectus, quos sanitas exigit. Eleganti sane modo *Clariss. Borhaave* hanc rem in collegiis privatis dilucidare semper conatur Magnetis exemplo, qui, si ab utroque latere ei duo ferri frusta apponantur, adeo ut Magnes in medio hæreat, nobis ideam dabit fibræ solidæ ex elementis sive partibus minimis constantis. Duo hæc ferri frusta, si ponantur in distantiâ à Magnete illâ, ut sint intra ejus activitatis sphæram, continuo ad illum accedunt quodam cum impetu, & Magnes immobilis manet, cumque eo quasi unum corpus constituunt, adeo ut quædam vis sit adhibenda, ut à Magnete removeantur. Si nunc ponamus quod hæc vis, qua Magnes sic trahit ferrum, duplo major fiat, duplâ tunc quoque indigemus vi, qua hoc ferrum à Magnete removeri posset. Simili fere modo se res habet cum solidis nostris minimis, hæc enim sic sibi cohærent ut requiratur certa vis, quæ illas extendat, quâ ablatâ, hæ partes utpote in statu violento constitutæ continuo ad se accedunt, adeo ut quæ in medio hærent fibræ trahant ad se extremas minus cohærentes, hinc duæ extremitates talis fibræ vel membranæ, ut lineæ considerandæ, ad se accedunt. Quo nunc cohæsio hæc major fit in partibus, eo nixus ille, quo partes se sic contrahunt, magis augetur, sic ut non amplius cedant illi vi, quâ antea superabantur.

§. 9. Facile nunc ex dictis (§. 8.) distinguimus Rigiditatem ab illâ partium fibrosarum, vel membranosarum omnino requi-

sita

ſita cohæſionis vi, qua fit ut hæ partes, à ſe nonnihil divulſæ abſque ruptione tamen, in priorem ſtatum ſeſe iterum reſtituant, ablatâ cauſâ diſtrahente. Vocamus hanc vim Elaſticam, quæ inſigniter augeri poteſt, prout increſcit robur in partibus, hinc ubi ſummum eſt robur in partibus ſive Rigiditas, ibi ſumma eſt Elaſticitas: eſtque hæc omnibus corporibus fere naturalis, quam late autem hæc pateat, docebit inter alios Egregius *Bellini*. Et quemadmodum pauciſſimas invenimus naturæ operationes ad cujus partes contractio hæc naturalis non ſit vocanda, ſic etiam tota Vita noſtra & ſanitas ab hac Elaſticitate in fibris &c. dependet: quâ, quæſo, aliâ vi, ſolida noſtra in fluida agunt quam hac ſua Elaſtica? Per pauca modo minuta hæc ſi abeſſet, actum foret de hominis vitâ. Sed ut Sanitas maneat perfecta, debet hæc vis intra juſtos manere limites, ſi enim minuitur nimis, fit debilitas in partibus ſolidis & inertia in liquidis contentis. Si vero augetur nimis, partes nimia Rigiditate laborant, quemadmodum in Senectute, cui Rigiditas inſeparabilis comes eſt.

§. 10. Dico nunc, quod pro hujus Rigiditatis incremento, celeriori vel tardiori, majori minorive, incommoda Senectutis quatenus ab hac Rigiditate pendent, etiam celerius vel tardius hominem opprimant: magna enim in his eſt varietas, adeo ut morboſa hæc in ſolidis partibus diſpoſitio citius, & magis obtineat in hoc, quam illo homine, prout ſc: cauſa hanc Rigiditatem efficiens fortius, diutiuſque egit, hoc eſt, quo ſolidorum & fluidorum actio inter ſe major eſt. Adeo ut vita actuoſa valde corpus ad Senectutem maturam diſponat. Hujus autem aſſerti veritas clara erit, ſi modo attendamus, quid corporibus contingat illis, quibus vis Vitæ magna, & qui talem ducunt vitam, qua hæc actio valde augetur. Nonne videmus quod multa corpora, præcipue juvenilia, poſtquam febribus aliquamdiu durantibus oppreſſa fuere, procera & robuſta aſſurgant, quæ antea debilia erant, & vix paria iis peragendis, quæ Sanitas & Vitæ ratio poſtulabant? An vero aliud quid tamquam roboris hujus aucti cauſa ſtatuendum hîc eſt, præter motum illum febrilem? nequaquam; ſed hîc vitæ vis magna fecit eadem intra parvum tempus, ad quæ efficienda Vita moderata plurimum temporis impendiſſet. Idem illud confirmatum videmus in cor-

poribus, jam à juvenili Ætate magnis laboribus applicitis, ut cursui, equitationibus, agriculturis &c., adeoque talem vitam degentibus, quâ solidorum & fluidorum actio valde viget, an non hæc corpora citius ad sui incrementi terminum perveniunt, adeoque etiam citius robur & firmitatem in partibus solidis acquirunt, quam si vitam minus actuosam egissent? omnino certe. Attendat modo quis ad rusticorum præcipue pueros, qui, cum adhuc dum vix ad annum septimum vel octavum pervenere, jam applicantur magnis laboribus & exercitiis, nonne videbit quod citô ad sui incrementi terminum perveniant, sed simul, cum nondum quadragesimum agunt annum, quod tum jam rigidi & incurvi quasi facti sint? sic ut jure hic locum habeat proverbium, quod cito fit, cito perit. Sed quid in his confirmandis diutius inhæream, norunt enim ipsi Equisones, homines harum rerum cæterum imperiti, quod si equos juniores, pulchros atque agiles validis laboribus vel cursibus diu applicent, quod brevi evadant rigidi atque immobiles fere. Varia nunc quoque sunt, quæ intro assumpta vel externe corpori applicata morbosam hanc in partibus solidis diathesin inducere possunt, præcipue si in horum usu, dicam an abusu, quis perseverat; talia sunt spirituosa fermentata, acido austera, terrestria, &c.; sed in hæc omnia inquirere animus non est, quandoquidem loquimur hîc tantum de iis morbis, ad quos producendos per propriam vitam corpus humanum idoneum natum est: hinc hæc annotasse sufficere existimo.

§. 11. Postquam nunc vidimus quid vitæ vis polleat in partibus nostris solidis, & quænam sit illa ab hujus actione producta Rigiditas, fons sane multorum & mirabilium in corpore morborum, etiam examinandum erit, sed breviter tantum, quid morbosi ex hac rigiditate fluidis in corpore accidat, ut sic ex binis his fontibus, quorum unus alteri originem dedit, repullulantes morbos examinare accuratius possimus: nam solida & fluida nostra tam arcto sibi juncta sunt vinculo, ut si morbosa quædam in alterutro prædominari incipiat diathesis, hæc vel illa facile in consensum trahantur.

§. 12. Homo itaque, quo tempore vasculis minimis destitui incipit, simul tunc patitur jacturam humorum illorum, qui vascula hæc implebant antea, h. e. subtilissimorum, unde caret quo-

quoque effectibus illis, qui ab horum præsentia pendent. Jactura hæc major est vel minor, prout plura pauciorave talia vascula abolentur; hinc si olim in aliqua corporis parte millena exstiterint vasa, ubi nunc est callus, in illa mille olim fuere liquores, ubi nunc est nullus; unde videmus quod solida fluida tunc copiâ exsuperare incipiant: hinc ab utriusque sublatâ proportione multa incommoda ut homo experiatur, necesse est. Sed, secundo, solida etiam vi exsuperant fluida, propter rationem ante traditam, hinc humores qui per vasa minora, minimaque libere fluere debent, magnam patiuntur resistentiam, quæ eo usque augetur donec humores penitus expellantur, & vasa ipsa concrescant: his concretis, augetur etiam vis seu robur in vasis majoribus, hinc horum liquida incipiunt premi, & comprimi, nam duo hæc inter se differunt, novimus enim quod aqua in Vesicâ, ex. gr. inclusa valide premi possit, h. e. sustinere vim corporis prementis, sed hæc aqua minime tamen est compressilis, h. e. ejus partes non patiuntur ut ab exterioribus introrsum premantur, nimis enim sunt rigidæ & homogeneæ; docuit enim hoc Eruditiss. *H. Boerhaave* in pulcherrimis de *aqua* prælectionibus. Sed liquida nostra compressilia an sint, minime est dubitandum; constant enim ex variis partibus, h. e. sunt heterogenea: hinc humores nostri quodammodo sunt Elastici, h. e. compressi se iterum restituunt; patet hoc quodammodo in sanguine è venâ educto, qui, ubi paululum stetit, nonnihil elevatur. Plura vero ad hoc confirmandum adducere experimenta, haud necesse existimavi. Ex his nunc omnibus plures alias liquidis accidere debere mutationes, & quasnam, unusquisque, credo, intelliget. Pergente interim solidorum hâc Rigiditate, & minimorum abolitione fluida quoque incipiunt retropelli versus cor; nam arteriæ suæ dilatationi nunc magis resistentes non recipiunt totam illam massam à corde projectam, sed ei valide obsistunt, adeoque & cordi propellenti, unde æqualis ille humorum fluxus deficere sensim incipit, hinc munera ab ejus integritate pendentia, præcipue secretiones interrumpi incipiunt: per quæ omnia corpori iterum variæ morbosæ mutationes accidunt. Nam, ut homo sanus vivat, requiritur, ut vasa sint in tali proportione ad fluida, respectu suæ capacitatis & copiæ, ut tantum sanguinis accipere possint, quantum cor una vice ejicit, his vero

capacitate & numero decrescentibus, homo tandem suffocatur: nam auctâ interim magis magisque resistentiâ hâc, cor tandem nimis debile evadit quam ut omnem sanguinem uno ictu expellendum ejiceret, hinc ejus perfecta evacuatio impeditur, & sic cor obruitur sanguine crasso, viscido valde & lento: interim in multis vasis variæ fiunt concretiones, propter humorum motum adeo retardatum; qui est inter præcipuas sanguinem fluidum conservantes causas: adeo ut ipsi humores cum propriis suis vasis in solidum corpus penitus concrescant; quod denuo causa est majoris, in partibus solidis, roboris.

§. 13. Recensitas (§. 12.) mutationes omnes in fluidis citius & efficacius contingere, prout morbosa solidorum dispositio citius, vel magis increscit quis dubitat? unde quoque functiones læsæ ab his in fluidis mutationibus productæ, ut citius in hoc quam illo appareant corpore, necesse est. Sed ne in hisce longus nimis videar, pauca tantum hæc B. L. præmittenda esse judicavi; ut ex iis tamquam fonte morborum in senili corpore apparentium originem atque naturam clarius intelligere, distinctiusque exponere possimus. Adeo ut jam ex dictis liqueat, quid mutationis machinæ nostræ quoad solida & fluida sensim accidat: quænam sit memorata illa Rigiditas, fons sane, unde tot & tam mirabiles morbi emergunt: neque etiam intellectu obscurum est, quænam diversitas structuræ partium solidarum quoad varias Ætatis partes, scil. quo homo à sua origine remotior, eo habet primô fibras magis cohærentes; secundô, magis densatas; tertiô, eô habet vasa ex fibris facta magis cohærentia; quartô, eo habet pauciora vasa; horum enim numerus, à quo infans ex claustro materno emittitur, imo jam diu ante, continuo minuitur: sic ut manifestum sit, quod vivere nostrum tantum sit siccescere & rigescere, hæcque omnia increscere quo homo diutius vivit. Hinc evidens est, quo Ætas est provectior, eo solida vi & copiâ fluida exsuperare magis; hinc fluida sensim imminui, & quidem omnium primo subtilissima deficere. Tandem, inquam, ex iis quæ diximus patere, quosdam morbos ultimæ hominis Ætati debere esse proprios: quinam autem horum sint præcipui, jam videamus.

§. 14. Senectutem summopere semper honoratam atque cultam fuisse, tam sacra quam profana tradunt scripta: imo hæc ho-

homini à ſummo Numine tamquam beneficium ſummum conceſſa dicitur, & ut hanc obtineat omnis fere mortalis optat, ſperatque; imo quis eſt tam fractis viribus & decrepitæ adeo Senectutis, ut non ſe putet, ſaltem ſperet unum adhuc annum eſſe victurum. Cum tamen, ut vera fateamur, hæc ſit miſerrima hominis Ætas, utpote longa morborum ſerie concomitata: unde veteres Senectutem ipſam morbum jure pronuntiare non veriti fuerint; hinc elegans ille Poëta *Ovidius*, qui tam pulchre Senectutem verbis ubique depinxit, ſuo tempore ſequentia jam cecinit:

—— —— *ſed jam felicior Ætas*
Terga dedit, tremuloque gradu venit ægra Senectus
Quæ patienda diu eſt.

Ab hac quoque ſententia magnus *Hippocrates* non alienus videtur, ipſe enim ille Senex, lib. 1. περὶ γήρας, ſenes omnium maxime morbis obnoxios pronuntiat; & ubique in ſuis ſcriptis de morbis, qui ſenes invadunt, mentionem facit: adeo ut revera nulla ſit corporis functio, quæ tandem aliquâ ex parte morboſa non evadat. Functionum tamen quaſdam præ aliis citius deficere, ex dictis jam colligere eſt; illas ſcil. quæ vaſis & humoribus ſubtiliſſimis, h. e. ſpiritibus & nervis peraguntur ſolis: ſpiritus, ut optime dixit *Verulamius*, omnium, quæ in corpore fiunt, fabri ſunt atque opifices; his vero deficientibus, etiam functiones, quæ ab harum præſentiâ pendent, ut deficiant neceſſe eſt. Unde patet quare homo prima Senectutis incommoda circa ſenſus tam externos, quam internos patiatur, h. e. quare Viſus, Auditus, Tactus, Guſtus, Olfactus, Memoria &c. hebetiores fiant, qui antea adeo vivaces & integri exſtitere. Sed in hos omnes ſenſus, ut & in reliquas corporis functiones læſas, paulo propius inquiramus.

§. 15. Viſus ſenſuum nobiliſſimus & magis dilectus, utpote quam plurimarum rerum cognitionem homini præbens, in Senio ſenſim magis magiſque obtunditur; adeo ut objecta non tam clare & diſtincte repræſententur, imo aliquando vix percipiantur. Læſum huncce ſenſum magno noſtro *Hippocrati* haud innotuiſſe, quis dubitat? Cum ſenex ille Sect. 3. Aphor. 31. ἀμβλυωπίαν, ſive oculorum hebetudinem inter cætera Senectutis incommoda recenſet. Ratio hujus phænomeni an non arridet hæc:

hæc : quod ſcil. tenerrima retinæ expanſio facta ſit minus ſenſilis, propter nervorum conſolidationes & ariditates; unde requiſitus ille in retina pruritus evaneſcit ſenſim, quo tunc fit ut hæc à lucis radiis minus vivide afficiatur, hinc impreſſio facta non ut ante ſenſorio communi offeretur; unde tunc ſimul menti excitetur idea, rei viſæ minus vivida? videtur certe ſimile quid hîc obtinere; multæ enim arteriæ hos nervos concomitantur, unde harum continuatâ actione ſimile quid poſſet hic produci ac (§. 8.) diximus. An vero quis hujus imminuti viſus cauſam potius attribueret humoribus oculi, antea diaphanis valde, nunc vero minus pellucidis, & deficere incipientibus, an eorum tunicis opacis & exſiccatis corrugatiſque, quo fieret, ut lucis radii non tam vivide & diſtincte oculum transirent? certe humores illos in ſenibus incraſſari immeabileſque reddi propter ſubtiliorum defectum minime eſt dubitandum. Unde ab eadem hâc cauſa naſci & vitium illud, ſenibus quoque frequentiſſimum, quod *Hipp.* eodem aphor. vocat γλαυκώσιν; malum in lente cryſtallina proprie hærens. Depravatur & inſigniter Viſus per vitium illud ſenibus adeo moleſtum, & quod *Hippocrati* audit ὀφθαλμῶν ὑρότητες, eſtque tantum fluxio humorum acrium rodentium in ſenilibus corporibus abundantium, per quos oculi tam externæ quam internæ partes mire labefactantur & excoriantur. Aliud adhuc circa viſum phænomenon in ſenibus examinandum eſt, πρεσβυωπία ſcil. vitium omnibus fere ſenibus proprium, & incipientis Senectutis ſignum: quo fit ut objecta non niſi remotiora ab illis cerni queant. Hujus rei ratio hæc ne arridet; quod ſcil. propter vaſorum minorum defectum, humores ſubtiliores etiam in oculo deficere incipiant; unde tunc humor aqueus, ſubtilis ſatis etiam copia minuitur; interim partes ſolidæ oculi interiores ſe ſenſim magis contrahunt, propter auctum ſolidorum robur, contrahit & ſe cornea tunica, cujus ſuperficies magis nunc applanatur, quibus omnibus tunc fit, ut radii lucis incidentes nimis divergentes fiant, hinc illi in retina non colliguntur, ſed poſt illam quaſi adhuc divergunt, unde tunc objecta confuſe repræſentantur? Contra hoc malum, illud excogitavit humana induſtria remedium, ut ſcil. hi homines utantur vitro dioptrico convexo, quod facit ut lucis radii magis convergentes in retinam incidant. Ex hujus nunc phænomeni conſideratione credo

in-

intelligere eſt, quare homines, qui oculos in juventute habuere prominentes valde, h. e. qui Myopes fuere, cùm reliquis ſenſibus jam ſeneſcere incipiant, πρεσβυωπία tamen non laborent. & quæ plura ſunt ejuſmodi.

§. 16. *Auditus* inter ſenſus ad diſcendum aptiſſimus, an non in Senibus plerumque læſus deprehenditur, ſic ut βαρυηκοΐα ſit præſentis Senectutis comes? Pauci certe ſunt Senes, quos de hoc vitio conqueri non audiamus, unde etiam ſapiens Senex illud inter Senectutis mala propoſuit. Quis autem miretur, qui conſiderat ſubtilitatem hujus organi & multitudinem organorum huic ſenſui inſervientium; è quibus ſi quoddam à naturali conformatione aut ſtatu deviarit, ſtatim moleſtia quædam percipitur; adeo ut millenis hic ſenſus modis deturbari poſſit. Verum an hujus læſi ſenſus in Senibus hæc non exiſtit cauſa; quod ſcil. nervi acuſtici portiones duræ, & molles, per internam hujus organi cameram diſtributæ, factæ ſint calloſæ & aridæ, unde tunc radii ſonori membranis trementibus communicati, ope horum nervorum concuſſorum, nunc exſiccatorum, ad ſenſorium commune deferri impediuntur, vel ſaltem illud minus vivide afficiunt, & ſic ibi ideam ſoni minus vividam excitant? An vero hujus vitii cauſam potius attribuendam quis putaret ligamentis, & muſculis malleum, incudem, ſtapedem nectentibus, moventibuſque rigidis factis, quemadmodum in ſenio ſæpius obtinet? Lubetne læſum hunc ſenſum, membranis tympani, ovali, rotundæ, calloſis factis imputare? Media enim tympani lamella tota vaſculoſa eſt; unde per horum vaſculorum abolitionem tale quid accidere poſſet ac antea diximus: certe ſi omnia hæc perpendamus, nihil obſtare video, cur ſimilia horum læſorum ſenſuum cauſæ exiſtere non poſſent; præcipue ſi attendamus ad ea, quæ diſſectio ſenilium cadaverum conſpicienda dedit: narrat egregius *Baglivius*, ſe, in cadaveribus viri cujuſdam nonagenarii, & alterius octogenario majoris, non modo nervos, verum ipſum cerebrum tam durum aridumque inveniſſe, ut cultro inter ſecandum ejus duritiem perciperet. Quid nunc ex tali cerebri nervorumque conſtitutione ſequi debeat, unicuique judicandum relinquo.

§. 17. *Tactum* in ſenibus ſi examinemus, quam mirabiliter plerumque ſtupet in illis hic ſenſus, qui tamen antea cuſtos ex-

ſtitit fideliſſimus, corpus ab injuriis externis interniſque defendens; quique tam vividus alacriſque fuit olim, ut infans recens natus vix pateretur minimum attactum, quin ſentiret. Cum contra adultus, & maxime Senex, quamvis partes pungantur, imo urantur, ſæpe vix ſentiant: adeo ut facile, ni fallor, concipiamus, ſenilia corpora variis injuriis externis præcipue, alias facile evitandis, ſuſcipiendis idonea evadere. Hujus nunc læſi ſenſus cauſa, an non jure quodam hæc dici meretur, quod ſc. totum nervoſum ſyſtema minus mobile evaſerit, procul dubio propter nervorum conſolidationes, ſpirituumque defectum; unde motus papillis tangentibus impreſſus non, ſaltem minus vivide ſenſorium commune afficit, unde tunc ibi excitatur idea rei tactu perceptæ minus diſtincta & vivida? Nonne & multa alia hic concurrunt; ut epidermidis calloſitas & ſiccitas, quibus fit ut papillæ tangentes non ſatis vivide affici poſſint? Imo hæ ipſæ papillæ per epidermidis calloſitatem calloſæ redduntur. Sane ſi conſideremus, ut Tactus peragatur, requiri, ut epidermis & cutis ſint bene conſtitutæ, ut ſc. ſint humidæ perſpirabiles & flexiles, & quæ ſi non obtinent ſenſum hunc depravari, (quam parum enim ſentientes ſunt manus hominum duriſſima corpora tractantium, ut fabrorum ferrareorum; Epidermis ibi & cutis quaſi coriaceæ factæ ſunt: quam parum ſentit pars corporis cicatrice obducta, propter minorem ibi perſpirationem &c.) tunc dico non abſonum fore, dicta, pro cauſis hujus læſi in ſenili Ætate ſenſus, agnoſcere. Ex hujus rei conſideratione Medico patet, quam mire varient in effectu ſuo, varia tam interne quam externe corpori applicata, pro varia Ætate. &c.

§. 18. An non & circa *Guſtum* Senes quaſdam patiuntur mutationes, quæ morboſæ aliquomodo dici merentur? omnino, nam pleraque, quæ antea grata & ſapidiſſima illis erant, nunc inſipida & deteſtabilia fere evaſere, ſic ut plurima corpora aliam penitus naturam illis induiſſe videantur. Diverſo penitus modo juvenis & ſummus Senex aceti ſapore afficiuntur; hic enim ab eo abhorret, huic vero placet: adeo ut revera hæc in guſtu mutatio illis morboſa evaſerit, vix enim norunt amplius noxa ab innoxiis ſapore diſtinguere; quo iterum fit ut varia illis, propter morboſam hanc mutationem, immineant pericula: huc accedit, quod deſtituantur fere illis voluptatibus, quas homo juvenis & ſa-

ſanus ex ſaporibus haurit, quos Deus pluribus eduliis, & potabilibus indidit varios. Hujus denuo depravati guſtus ratio, an non petenda eſt ex conſolidatis & abolitis vaſculis minimis nervoſiſque, quibus hic ſenſus peragitur, quorumque ceſſante actione, etiam hic ſenſus ceſſat? Lubetne etiam hoc vitium à conſtrictis poris vaginarum membranacearum papillas inveſtientium derivare? an ab iiſdem membranis conſolidatis nimis, quò fieret, ut materies guſtanda vix, vel ſaltem minus quam requiritur, ut guſtus diſtinctus excitetur, papillis applicetur? Hæc & innumera plura hic concurrere, nihil obſtare video. Liquet ſimul ex hoc phænomeno, quam varios effectus præſtant in corpore res ſapidæ, pro majori minorivi nervorum mobilitate, vel prout varia eſt Ætas; &c.

§. 19. Quis tandem miretur, ſi de labefactato *Olfactu* Senes ſæpe conqueri audiamus? peragitur enim hic æque nervis & ſpiritibus ac reliqui ſenſus: unde à conſolidatis & exſiccatis nervoſis fibrillis fit, ut odora effluvia motu inſpirationis per nares adducta, atque ad fibras olfactorias applicata, minus vivide illas afficiant; unde tunc in ſenſorio communi excitatur idea rei Odoratu perceptæ minûs vivida. An non & membrana olfactoria hujus imminuti & depravati ſenſus cauſa exiſtere poteſt, quatenus nimia ſiccitate laborat, unde particulæ odoriferæ non involvuntur quaſi in humore partes illas naturaliter oblinente & humectante? An etiam abſonum foret credere, Olfactum in Senibus mire lædi à vitio illo, quod *Hippocrates* Senibus adſcribit, & vocat ῥινῶν ὑγρότητες? per hoc enim vitium neceſſario fit, ut partes nervoſæ, continuo illo acrium humorum fluxu, excorientur & inſenſiles reddantur. Hinc probabile valde, hæc & innumera plura, quæ brevitatis gratiâ omitto, læſorum in Senibus ſenſuum cauſas exiſtere, puto.

§. 20. Viſis itaque iis, quæ circa ſenſus externos Senibus accidere conſuevere, pauca etiam de ſenſibus internis, ut Memoriâ, Imaginatione, Ratiocinatione, animi affectibus, &c. dicenda ſunt. Videamus ergo breviter. De his labefactatis ſæpiſſimè conquerentes audimus Senes, & quidem præcipue de labaſcente Memoria, pretioſo ſane illo, ab optimo Conditore nobis dato theſauro; quo ſi nos deſtituiſſet, quam pauperes eſſemus; etenim ne per minimum temporis ſpatium in iiſdem cogitationibus ma-

nere possibile esset : neque ullius præteriti unquam recordaremur : adeo ut tota fere humanitas, hâc sublatâ, evanesceret. Memoria nunc in nobis fieri dicitur, si conditio quædam sensorio communi, à quacunque causâ, tam fortiter inhæreat, ut actione aliorum objectorum superveniente mutari nequeat: tum enim menti præsens erit continuô idea quædam huic conditioni respondens. Vel, secundo, Memoria in nobis fit, si, occasione causæ similis, aut ideæ illi affinis, quam in nobis olim excitaverat impressio quædam sensorio communi, excitatur idea eadem, quam si tunc concomitatur conscientia similis olim perceptæ, vocatur Memoria. Sensorium nunc commune esse aliquam Cerebri medullosi partem, pro cujus varia mutatione, quæ ibi tantum est mera mechanica dispositio, mens etiam variè afficitur, quis hodie dubitat? Hinc in eo idearum adeoque & memoriæ causam latere, probabile valde existimo : unde haud inelegant er videtur dixisse *Helmontius* : *si quis laboret ut rei oblitæ reminiscatur sensibiliter percipit hunc sibi laborem in syncipite.* Sed quis præcise sit locus, ubi mens sic afficitur, non determino; neque etiam utile fore multa, & procul dubiô incerta de his proferre, existimo, sed hæc tantum annotasse, sufficere puto. An nunc aliud quid pro causâ hujus labascentis in Senibus Memoriæ agnoscere quis vellet, quâm minorem systematis nervosi mobilitatem, adeoque & sensorii communis, quâ fieret ut idem illud minus vivide afficeretur à quâcunque causâ, hinc conditio ei impressa, quæ ibi (uti diximus) tantum est mechanica dispositio, per actionem alicujus objecti, tam debiliter inhæret, ut actione aliorum objectorum, facile & brevi destrui possit; unde sic menti nulla amplius memoria idearum, prius perceptarum, restaret? Unicuique certe in his cogitandi libertatem relinquo. An non & inde, aliquomodo intelligitur, unde fiat, quod Senes Ratiocinatione atque Judicio minus valeant? *Judicium* enim tantummodo est, propositionum ex ideis compositarum justa concatenatio: Unde videmus ad Judicium requiri, primo, clarum rerum repræsentamen : secundo, memoriam rerum propositarum : sed utrumque labascit, ergo & Judicium ut vacillet, necesse est. Adeo ut, quoad ad sensus hosce, parum a puerorum naturâ differre decrepiti observentur. Unde nunc vacillatio imaginationis, attentionis &c., proveniant, ex dictis quisque

que forte intelliget. His intellectis, (ſed minus clare ut vereor explicitis) ſi rogatur, cur illa, quæ in juventute Memoriæ imprimuntur, plerumque optimè ei inhæreant, & contra, quæ in provecta valde ætate, non diu memoriâ retineantur; an dico hujus rei ratio hæc dari non poſſet, hoc ſc. inde fieri, quia in primâ Ætate ſenſorium facile afficitur, hinc impreſſiones diu retinere poteſt; in ſenio vero ſummo, illud difficulter afficitur, inde impreſſiones non diu valde retinet: & ſimul quia tum jam multis aliis perceptionibus gravatum eſt. Quid tandem ſentiendum ſit de illa veterum ſententiâ, ſed ab *Helmontio* rejectâ valde, quæ pueris memoriam ideo vividam concedit, propter Cerebri teneritudinem, facile ſuſcipientis quælibet ſigilla; ſed Cerebro per ariditatem duriori, ſigillorum impreſſiones tanto magis arduas fore, quanto ad retinenda conceptuum ſtigmata ſunt ex ariditate pertinaciores: & quouſque procedat hæc ſententia, acuto Lectoris ingenio committo.

§. 21. Vidimus ſic (§. 15--21.) Senſus tam Externos, quam Internos in Senibus notabiliter imminui: Verum dico, illos omnes ſæpe, pro tempore totaliter aboleri; h. e. Senes ſæpiſſime Apoplexiâ corripi: qui morbus ſenibus familiaris eſt, unde & hunc *Hippocrates* inter Senectutis mala proponit. Quamvis tamen huic *Hippocratis* pronuntiato repugnare videatur Aphor. 57. Sect. 6. ubi dicit *Apoplexiæ fiunt autem maxime a quadrageſimo anno ad ſexageſimum uſque.* quæ Ætas certe nondum ſenilis adeo eſt dicenda. Sed conſiderandum hic eſt, Apoplexiam non ab unâ eademque causâ, ſed à variis humorum morboſis degenerationibus produci poſſe. Sic bilis atra in actum deducta in Melancholicis, ſæpe Apoplexiæ cauſa exiſtit. Quia nunc *Hipp.* obſervaverat, hanc atram bilem maxime agere à quadrageſimo ad ſexageſimum annum; hinc recte videtur dixiſſe Senex, quod Apoplexiæ maxime fiunt à quadrageſimo ad ſexageſimum annum, à melancholico ſc. ſucco. Confirmavit nunc & hoc clariſſ. Vir *H. Boerhaave*, *Præceptor meus indefeſſus*, *ad ultimæ meæ Ætatis finem uſque Venerandus*, in auro pretioſiore libello, cap. de Apoplexia, ubi atrabilariam acrimoniam, circa 40. & 60. annum, agentem inter cauſas hunc morbum præcedentes recenſet. Apoplexia, vero quæ contingit à pituitâ, vel defectu ſpirituum, familiaris eſt Senibus, utpote hiſce humorum vitiis labo-

rantibus: hinc optime iterum ſapiens Senex hanc inter Senum miſerias repoſuit. Morbum autem hunc oriri ab impedito ſpirituum cerebri fluxu in organa ſenſuum, motuumque voluntariorum; & viciſſim ab impedito refluxu ab his organis ad ipſum ſenſorium commune, multiplex docuit obſervatio. Unde facile videmus hunc morbum, Senibus debere eſſe familiarem propter ipſum horum ſpirituum defectum: horum actione ceſſante ceſſant & pleræque corporis operationes: hinc egregie dixit rurſus *Verulamius*: *ſi quis poſſet in corpore ſenili reſtituere ſpiritus, quales ſunt in juvene, conſentaneum eſt rotam hanc magnam reliquas minores circumagere iterum poſſe*; & revera ſic eſt.

§. 22. Ex dictis etiam intelligere eſt, quare ſenile corpus, ad motus voluntarios quoſcunque, torpidum adeo & inhabile fiat? Partes enim motibus exercendis deſtinatæ, præcipuâ movente deſtituuntur cauſâ, h. e. ſpiritibus: & illi qui ſuperſunt adhuc, inordinato & inæquali ad partes determinantur motu. Unde alius iterum mali in Senibus obtinentis cauſam intelligimus, tremorum ſcil. in variis membris, motibus exercendis deſtinatis, ut manibus, brachiis, cruribus, pedibus &c.: hinc Senibus fere proprium eſt, dubio & tremulo paſſu incedere. Huc denuo accedit, quod ipſa organorum fabrica, his motibus peragendis deſtinatorum, ſenſim magis magiſque deſtruatur; unde actiones à legitimâ horum organorum fabricâ pendentes, ut impediantur, neceſſe eſt: quod etiam poſtea videbimus. Ut autem ordine quodam in hiſce iterum pergamus; poſtquam de externis interniſque ſenſibus labefactatis imo ſæpe abolitis quædam diximus, reſpiciamus, jam ad qualitates ſenilis corporis mutatas, & ad morboſum ejus habitum, ex quibus conſideratis, innumera iterum phænomena, in ſenili corpore occurrentia, intelligi poſſunt.

§. 23. Homo itaque, poſtquam varia circa ſenſus advenientis Senectitus expertus eſt incommoda, incipit, quoad habitum ſuum, multa quoque præſentis jam Senectutis, manifeſta præbere ſigna: mirum enim in modum hîc omnia mutari incipiunt, unde quidam poëta huc reſpiciens ſcitè cecinit:

Hæ ſunt primitiæ mortis; his partibus Ætas
Defluit, & pigris greſſibus ima petit.

Non

Non habitus, non ipse color, non gressus euntis;
Non species eadem, quæ fuit ante, manet.

Nam tota Senum cutis fit rugosa & arida, præcipue circa oculos & frontem, quæ prius tam levis & explicata exstitit, unde totius hominis facies mirè deturpatur. Ratio hujus rei an non videtur hæc, quod scil. propter consolidata, & abolita vascula cutanea, quæ prius humoribus impleta erant, partes exsiccentur, & hinc, propter auctam contrahendi vim, rugas intermedias formant? torositas enim illa, quæ prius ob repleta vascula aderat, jam recessit. An vero hujus ariditatis causam statuere quis velit, defectum pinguis illius exsudantis ex folliculis vel cutaneis glandulis, cuti leniendæ, & flexilem retinendæ, destinati? In senio autem omnes glandulas minores fieri, imo tandem evanescere, senilium cadaverum dissectio docuit. Ex hac cutis rugositate considerata, credo intelligere iterum est, quare Senum perspiratio sensim minuatur, monentibus bene *Sanctorio* & *Gortero?* Resp., primo, propter cutim sensim magis duram, densamque. Secundô, propter frequentia sputamina, Senibus adeo infesta: nam retenta utpote incapacia coctionis, monente *Sanctorio*, impediunt perspirationem, unde insensibilis illa evacuatio in sensibilem pituitam vertitur. Clare etiam ex dictis videtur intelligi posse origo pruritus illius per universum corpus, de quo Senes sæpe conqueruntur, & de quo *Hipp.* supra allegato Aphor., mentionem facit: quæ videtur hæc, quod scil. multi humores propter segniorem circulationem, & excretiones impeditas, stagnando acres fiant, qui ad exteriora corporis nonnihil propulsi, propter vasorum constrictiones & consolidationes ibi hærentes, pruritum illum excitant.

§. 24. Memoratam cutis ariditatem, & constrictionem quoque existere causam sequentium, & sæpe obtinentium in senibus morborum, non improbabile videtur: scil. primô Destillationum, tussim adferentium; quem morbum *Hipp.* vocat καλάῤῥους βηχώδεες. Secundo, δυσπνοίας, & tertio, illorum morborum, quos Aphor. 40. Sect. 2, vocat βραγχῶς, ἢ κορύζας, &c. quibus omnibus sæpissime senes affligi notum est. Causa nonne videtur hæc, quod scil. propter cutis ariditatem & constrictionem, excrementa evacuari solita facillimè intro pellantur, & intra cor-

corpus retineantur; quo ſæpe tunc fit, ut materia illa ad partes delata, dicta ſymptomata excitet; ſi ad pulmones, & quædam acrimonia ei juncta ſit, vellicando nervos ibi excitat καταῤῥυς βηχώδεες: pulmones infarciendo, δυσπνοίαν: ſi vero ad aſperam arteriam deferatur, facit βραγχῦς: ſi ad nares, κορύζας, &c.? Sed ſecundo, quia corpus noſtrum tam interne, quam externè eſt perſpirabile, & probabile valde eſt, ſimiles ariditates etiam obtinere in partibus internis, quales in externis, hinc memoratos morbos etiam oriri poſſe propter ipſas has partes nimis exſiccatas & imperſpirabiles redditas, nihil obſtare video. Huc accedit tertio, quod ſenilia corpora multis cruditatibus, humoribuſque frigidis & lentis ſunt obſeſſa, propter labefactatas coctiones, & deficientem calorem; quibus omnibus fit, ut hi morbi facile producantur, qui tunc etiam, monente *Hippocrate*, coctionem non admittunt.

§. 25. Ab eâdem hâc materiæ perſpirabilis impeditâ evacuatione, partim etiam produci ϛραγϛυρίαν, morbum Senibus infeſtum valde, abſonum ne adeo eſt ſtatuere? Multæ enim particulæ ſalſæ & acres, quæ in junioribus per ſudores, aut perſpirationem evacuari ſolebant, in corpore retinentur; quæ in maſſâ ſanguineâ oberrantes, per renes ad veſicam delatæ, ibi ſtillatim cum ſenſu ardoris excernuntur. An non & eadem vaſorum cutaneorum &c. conſtrictio, partiumque impedita perſpiratio, producit ἄρθρων πόνυς, ſive articulorum dolores, Senes adeo excruciantes? Videtur certè ad hunc morbum producendum ſuum conferre ſymbolum: nam propter coctiones labefactatas, parteſque minus perſpirabiles redditas, multa colliguntur excrementa, h. e. multi humores acres ſimulque tenaces congregati, rodendo & diſtendendo lædunt vaſcula minima; hinc ſummos circa illas partes excitant dolores. Rem hanc quodammodo exinde confirmatam videmus, quod ſcil. paroxyſmi arthritici, ſeu podagrici, tam immaniter ſæviunt, ſi quoddam vitium commiſſum fuerit, quod perſpirationem impediret, ſive retardaret. Reliqua nunc mala, ab his, ſimilibuſque cauſis originem trahentia, credo, ex dictis facile intelligentur: hinc ut brevis ſim, ad alia quædam pergo.

§. 26. Ex iis itaque quæ diximus, nemini mirum videri, credo, quare Senum corpora, ad varia perficiunda munera, tam in-

inepta fiant: non ſolum enim ſpiritus, opifices omnium, quæ in corpore fiunt, hic deficiunt, ſed ipſa organa ad varios in corpore exercendos motus inepta fiunt & tarda, quæ antea agilia valde exſtitere. Corpus enim infantis recens nati, quam flexile eſt, quam mobiles exiſtunt omnes artus? attendat modo quis ad ejus pedum digitos, quam variis certe modis flectere & movere illos hinc inde valent? In adultis vero, imo in prima adhuc Ætate, hi tunc etiam immobiles fere exiſtunt; adeo ut tum jam rigiditas quædam videatur adeſſe. Sic ſe nunc res habet in ſummo Senio cum omnibus membris. Sed quid miremur? Adorandus Creator ut corpora noſtra flexilia conſtrueret, partes majores ex minoribus & tenuioribus conflavit, h. e. vaſa ex vaſculis, muſculos ex fibris &c., & inter horum interſtitia continuo humores decurrere voluit, concretionem impedientes. Hæc nunc eſt ratio, quare infans recens natus tam flexiles & mobiles habeat partes, habet enim plurima vaſa & liquida; & omnes partes, quæ oſſeſcunt poſtea, ibi adhuc ſunt cartilaginoſæ, omnes membranæ fere adhuc vaſculoſæ, tendines molles valde adhuc, & vaſculoſi; quæ certe omnia tale corpus valde flexile reddunt. Si vero ſenile examinemus corpus, quam mirabiliter ibi omnia concreta ſunt, & exſucca, ſicut Anatome exhibet muſculos ſenilium corporum in tendines penitus converſos, tendines in cartilagines, cartilagines in oſſa duriſſima: omnes enim novimus, quod carnes animalium annoſorum, ut boum, anatum, gallorum, ſimiliumque ſi adponantur, quod ſæpe dentibus comminui, imo acuto vix ſcindi queant cultro, adeo ut hæc animalia, ſi vivere pergant, tandem quaſi oſſeſcant. Exemplum rurſus habemus, quod præbet os cordis cervi annoſi, de quo commentatus eſt pulchrè *Veſalius* contra *Galenum*, qui ipſum os in corde ſtatuebat; cum tamen illud nihil aliud ſit, ut bene monet *Baglivius*, quam portio aut arteriæ aortæ, aut pulmonalis, per repetitam cordis contractionem, prius in cartilaginem, dein in oſſeam ſubſtantiam mutata. Quod nunc ſimilia in humano corpore per Ætatem contingant, multæ quoque docuere obſervationes: quarum unam alteramvè hic adducere lubet. Refert *Bonetus* de homine Sene ſubito exſtincto, in cujus corde tres valvulæ ſemilunares oſſeæ reperiebantur. In alio caſu, totum ſeptum cordis oſſeum obſervatum eſt. Vidit & *Harvæus*

in homine fortiſſimo portionem arteriæ magnæ prope cor in os converſam. De hâc quoque re me certiorem fecit Lumen illud in Anatomicis ſtudiis *Profeſſor B. S. Albinus*, *Præceptor meus nunquam ſine reverentia nominandus*, qui mihi de hac re affirmavit quærenti, ſe in ſenili cadavere portionem alicujus vaſis majoris, ſi bene memini, arteriæ aortæ, cartilaginoſam penitus inveniſſe. Adeo ut videamus in Senibus non modo muſculos mutari in tendines, tendines in cartilagines, & cartilagines tandem in oſſa dura, verum etiam tenuiſſimas prius membranas ſuam ſucceſſive propriam naturam amittere. Cartilagines autem, quæ naturaliter ſic manere deberent, in ſenili Ætate oſſeſcunt; inſpectio enim cadaverum totam arteriam aſperam oſſeam invenit; quæ procul dubio Dyſpnœæ & ſuffocationis cauſa in illo homine fuit. Sic refert idem *Bonetus*, partes coſtarum cartilagineas, in oſſeam ſubſtantiam induratas inventas fuiſſe. De cartilagine mucronata in ſenibus oſſea reddita, narrat idem auctor; quæ omnia procul dubio reſpirationem difficilem illis hominibus reddiderunt.

§. 27. Liquet itaque, ſi enarrata omnia conſiderentur, muſculis, tendinibus, membranis, cartilaginibus accidere, quinam effectus ab his partibus ſic mutatis produci debeant; ſcil. impedimentum, vel abolitio illorum motuum, qui ab his partibus naturaliter conſtitutis, ſponte, vel determinante voluntate, producerentur. Sed aliæ adhuc quamplurimæ impeditorum motuum, præter enarratas jam, exiſtunt cauſæ, quarum præcipuas tantum breviter adhuc examinabimus. Primo, defectus olei & pinguedinis, naturaliter tendines & muſculos lubricantium, reddit plerumque has partes aridas & ſiccas, unde tunc cum magna difficultate motus ſuos peragunt. Secundô, quod notabile, ad omnes articulos, ſive oſſium juncturas, prudens Creator poſuit ſacculos, oleo ſive ſmegmate ab *Haverſio* inventore, Haverſiano dicto, repletos, ad articulationes lubricandas motuſque faciles reddendos, deſtinato; quod ſmegma ibi ſecernitur ope fabricæ glanduloſæ: ſed quia jam antea monuimus, quod in ſenilibus corporibus totum glanduloſum ſyſtema imminuatur, imo tandem penitus evaneſcat, hinc dico pulchrè intelligimus, quare Senum oſſa, dum incedunt, vel ea movent, ut cum manducant, adeo ſtrideant? Videtur certe non aliam

ob

ob causam id fieri, quam quod smegma illud lubricans deficit, unde hæ partes motæ stridorem illum excitant. Sed tertio, ipsa quoque ossis mutata in senibus fabrica causa sit, cur motus difficilius peragantur: non possumus enim, quin iterum hîc miremur infinitam Conditoris sapientiam, qui in medio fecit ossa duriora, circa extrema vero sive juncturas latiora, & magis ad naturam partis mollis accedentia: lamellæ enim osseæ circa juncturas à se invicem magis secedunt & disperguntur, quo fit, ut interstitia fiant ibi majora, hinc etiam numerus vasorum ibi major est, quam in medio ossis, ubi lamellæ sunt magis compactæ. Ab arteriis nunc illis, qui per periostium internum decurrunt circa juncturas, quamdiu homo sanus vivit secernitur oleum subtilissimum medullosum, quod in cavis vesiculis deponitur, ut pinguedo in membranâ cellulosâ; oleum hoc per motum corporis, & vi circulationis per istas lamellas distribuitur, imo per poros in cava juncturarum exsudat, ibique miscetur cum smegmate illo, vel solum reddit articulationem lubricam satis; quia nunc hoc oleum, per attritum majorem circa juncturas, quam in medio, majori ibi copiâ consumitur, hinc Natura ibi vasa secernentia & vesiculas majori copiâ posuit. Verum in maximè provectâ Ætate, ubi omnia exsucca & arida facta sunt, etiam ipsa ossa magis consolidata & exsucca facta sunt, propter vasa etiam ibi abolita & consolidata: (ne interim quis miretur me hoc effari, nam omnia ossa olim mera vasa fuisse probabile valde est.) Unde tunc quoque fit, quod secretio illius pinguis sensim deficiat, unde tunc articuli destituuntur illo bono, quod ab hujus olei præsentia producebatur, h. e. lubricatione. Ex hisce consideratis plurima intelliguntur phænomena in senibus sæpe occurrentia; ut, quare ossa sæpe tam fragilia evadant? Docet & hoc Chemia. Cur ossa Senum si frangantur tam difficilè iterum increscant? Resp., quia vascula illa, quæ fundere debent succum, unde callus generatur, deficiunt. Quid autem statuendum sit de illa veterum sententiâ, asserente Senes ideo plurimum catharris esse obnoxios, quod eorum crania penitus consolidata, & futuris destituta impedirent, ne vapores exhalarent, non determino. Sed quartô, ipsa ligamenta in corporibus senilibus sunt causa impeditorum adeo motuum. Sunt enim hæc singularia penitus corpora, fortissi-

ma, quæ tamen debent constare partibus flexilibus satis, ut sic hæc ipsa, partesque annexæ moveri commode possent. Verum & hæc in summo senio arida & rigida fiunt, sic ut tota vertebrarum columna, cæterum flexilis satis, in unum continuum rigidumque corpus concreta sit inventa: ibi enim ligamenta vertebras nectentia, prius flexilia satis, in osseam substantiam concreverant. Similia etiam reliquis ligamentis accidere minime est dubitandum. Ex his etiam intelligitur, cur vulnera his partibus inflicta tam difficulter consolidentur.

§. 28. Ex consideratione itaque præcedentium credo jam manifestam esse rationem, quare Senum corpora incurvari sensim incipiant, ita ut ad terram, è quâ producta sunt, magis magisque iterum accedere videantur, cum tamen antea capite erecto, ut cœlum adspiciant, incedere consuevere? a nulla certe alia causa hoc provenit, quam ab accurtatione ligamentorum, vertebras ad sese invicem magis magisque adducentium, sicque ad anteriora flectentium & figentium; quo tunc fit ut corporis statura sensim imminuatur, sic ut Senes tunc decrescere iterum dicantur: de hâc corporis imminutione inter alias Senectutis miserias *Cumæam* apud *Ovid.* conquerentem audimus:

Tempus erit, cum me de tanto corpore parvam
Longa dies faciat: consumptaque membra Senectâ
Ad minimum redigantur onus;

Non solum ligamenta sic contrahuntur omnia, unde totum corpus imminutum apparet, sed etiam reliquæ solidæ partes molliores, propter ariditatem, expulsis & repulsis liquidis, totam corporis molem minuunt: hancque imminutionem haud inconcinne egregius *Verulamius* comparat cum exsiccatione, & imminutione nucleorum in nucibus, qui siccati non amplius totam testam implent, sed contracti corrugatique iis includuntur.

§. 29. Ne autem in hisce diu nimis versari videar, (immensus enim hic esset campus) ad alia quædam adhuc in Senibus examinanda me accingo phænomena. Occurrit inter hæc, primo canities, signum à Senectute inseparabile, & per quod Senectutem ubique descriptam videmus, quodque legimus, etiam in sacris, in summo semper fuisse honore: sic *Levit.* lex erat, *ut quis coram cano capite consurgeret, & personam Senis honoraret.* In *Proverb.* dicitur, quod *dignitas Senum sit canities*, &c. Imo

apud

apud ipſos *Ethnicos* canitiem in honore fuiſſe, teſtis eſt *Ovid.* qui canit:

Magna fuit capitis quondam reverentia cani,
Inque ſuo pretio ruga ſenilis erat.

Canities vero hæc nil aliud eſt, niſi pilorum cujuſcunque etiam antea fuerint coloris in canum mutatio, quæ eorum ſenium arguit. Phænomeni hujus cauſa hæcne arridet, quod propter humorum ſubtilium defectum, ipſi pili iis deſtituantur, unde quoque eorum cava non amplius irrigantur, quo tunc fit, ut color pilorum antea varius, pro varietate iſtius liquidi pilos diaphanos antea replentis, tandem evaneſcat, & pili exſucci & aridi in colorem canum permutentur, qui color omnibus noſtris ſolidis partibus, omni humido deſtitutis, videtur proprius. Succedit canitiei ipſum calvitium; adeo ut hominis caput, quemadmodum pleraſque plantas hyberno tempore frondes, & nonnullas aves pennas amittere videmus, capillorum ornamento privatum cernamus. Cauſa procul dubio hæc eſt, quod ſc. pili omni omnino deſtituantur alimento, hinc tunc fit, ut, radicibus ſive bulbis aridis & contractis redditis, ipſi pili mortui defluant: quamvis multæ aliæ hic concurrere videantur cauſæ, ad hunc pilorum defluxum producendum, ut ſiccitas & ariditas cutis cui inhærent, unde pili deſtituuntur tunc oleo ſive pingui hos flexiles conſervante: hoc enim deficiente, ſimiles capillorum defluxus in junioribus contingere ſcimus. An hujus calvitiei cauſa exiſtit, ut quidam putarunt, diſtantia meningum a cranio, quas, juxta *Bonetum*, obſervationes in Senibus calvis ſic diſtare docent, quo tunc fieret, ut cranium ſuperjacens, huicque ſuperpoſita tegumenta minus eſſent irrigua, adeoque inepta continendis, & nutriendis capillis? parum certe hoc attribuere videtur.

§. 30. Quemadmodum nunc caput capillis, ſic mandibulas dentibus deſtitutas cernere eſt. Hi enim, qui tam validi, integri, & pulcherrimi antea fuere coloris, nunc attriti, nigerrimi, exeſi, & decidui hominis os mire fœdant. Has in dentibus mutationes pulchre obſervavit *Helmontius*, qui etiam dentibus Ætates ſuas attribuit: dicit enim, dens qui poſt octennium hominis candorem vitri opaci vel lapidis limacis refert, adoleſcens eſt; ſplendidus & politus tunc eſt ejus color albus: deinde ſenſim palleſcit, mox dein ſurde albeſcit tanquam ebur, & juventus eſt dentis; tum poſtea obſcure

pallet ut in ſyncopizatis virginibus ſpectatur, eſtque ejus Ætas virilis: atque tandem pallide flaveſcit oſſis inſtar, procul dubio ab oleo incipiente corrumpi, Ætas tunc ſenilis incipit: poſtremo autem dens carioſus, cavus, niger, verminoſus & olidus fit, quæ Ætas dentis caduca eſt. Hunc lapſum dentium producere videtur deficiens nutritio, à qua omnium partium ſtabilitatem dependere ſcimus, quamvis multa alia hic concurrant, ut exſiccatio carnis gingivarum quæ illos carnoſe adhuc in alveolis retinebant: ipſa quoque alveorum cavitas minuitur ſenſim; unde dens quaſi extruditur: humores quoque varios pituitoſos, frigidos circa dentes collectos, omnia hæc mala augere, non improbabile videtur: frigida enim juxta *Hipp.* & *Helmont.* dentibus ſunt inimica. Facile nunc iterum ex hujus dentium defectus conſideratione concipimus, manducationem, præcipuam ad ciborum concoctionem promovendam actionem, inſigniter lædi: (quid enim actio dentium in cibos valeat, corporis functionum periti ſatis norunt.) Hinc eſt quod egregius *Bellini* dixit, in infantibus & Senibus, quia utrique dentibus carent, fieri chylum minus coctum, verum magis crudum & frigidum: eoque magis quia hi humoribus minus vividis & diſſolvendo aptis præditi ſunt: propter chylum quoque minus coctum etiam reliquæ coctiones deturbantur, unde iterum varii morbi. Huic tamen dentium defectui aliquomodo occurrere voluit prudens Creator, qui ſic utramque mandibulam conſtruxit, ut dentibus elapſis, eorum alveolis attritis, ciborum comminutio per eorum margines conſolidatas aliquomodo peragi poſſit, quemadmodum in Senibus quotidie videre eſt. Humana quoque induſtria pro viribus occurrere hîc videtur: monet enim ſæpius jam laudatus *Verulamius*, quod tria ſint, quæ huic defectui proſpicere poſſunt. Primum, ut alii dentes renaſcantur, quod tamen omnino difficile videtur, nec abſque inſtauratione corporis integrâ perfici poſſe. Secundum, ut mandibulæ per debita adſtringentia ſic firmentur, ut officio dentium quodammodo, fungi poſſent: quod non male cedere poſſe videtur. Tertium, & omnium optimum eſt, ut cibi pro ſenibus ante aſſumptionem ſic præparentur, ut iſta dentium actione non egeant: unde expreſſiones & conciſiones ciborum minutas, eoſque bene conditos &c., Senibus utilia pronuntiat. Altera quæ à dentium defectu in Senibus læditur actio, eſt loquela. Nemo

mo hoc mirabitur, qui conſiderat, quid dentes cum reliquis organis ad ſonum, in faucibus editum mutandum, & varie determinandum, valeant. Ultimo dico, quod ipſa facies mire mutetur propter utramque dentium deficientem ſeriem: diſtantia enim ab inferiori naſi parte ad mentum longe minor fit, hinc mentum ad anteriora prominulum redditur, ſic ut reverâ tota facies hominis ſuam figuram, proportionemque amiſerit. Quoniam autem video, Diſſertationem in nimiam molem increſcere, brevitati ſtudens, hinc, omiſſis reliquis corporis ſenilis calamitatibus, an quædam etiam circa animi affectus deformitates in Senibus obtineant, videndum tantum reſtat.

§. 31. De animi affectibus Senum, ut verum fatear, ex propriâ conſideratione non multa dicenda habeo, hinc tantum pauca, quæ de his depravatis ſcripſit *Verulamius*, proponam, ut ſic æquus quiſque judex, & cui cum Senibus frequens eſt converſatio, vitia hæc Senibuſne competant, nec ne, judicet. Refert Auctor optimus de juvene ingenioſiſſimo, ſed jocoſo paululum, qui in Senum mores invehere ſolitus dicebat; ſi daretur conſpici Senum animos, quemadmodum cernuntur corpora, non minores in iiſdem apparituras deformitates: contendebat enim vitia animorum in Senibus corporum vitiis eſſe quodammodo conſentanea & parallela: pro ariditate cutis ſubſtituebat impudentiam: pro duritie viſcerum immiſericordiam: pro lippitudine oculorum, oculum malum & invidiam: pro immerſione oculorum & curvatione corporis verſus terram, Atheiſmum (neque enim cœlum, inquit, reſpiciunt ut prius:) pro tremore membrorum vacillationem decretorum, & fluxam inconſtantiam: pro inflexione digitorum, tanquam ad prehenſionem, rapacitatem & avaritiam: pro labaſcentia genuum, timiditatem: pro rugis calliditatem: & quæ plura talia. Ipſe quoque *Verulamius* ſequentia diſcrimina circa animi affectus Senum & juvenum memorat; dicens: Juveni adeſt pudor & verecundia, Seni verô occalluit: Juveni æmulatio laudabilis, Seni invidia maligna: Juveni inclinatio ad religionem & devotionem, ob fervorem & inexperientiam mali, Seni defervefcentia in pietate ob charitatis teporem, nec non ob credendi difficultatem: Juveni liberalitas & beneficentia, Seni avaritia & ſibi ſapere & conſulere. Juveni confidentia, & bene ſperare, Seni diffidentia & plurima habere

pro

pro ſuſpectis: & plura talia apud auctorem ſunt videnda.

§. 32. Sic tandem videmus, ex omnibus iis, quæ de minimorum abolitione & ſpirituum defectu, deque totius corporis arefactione, & calloſitate tam internis quam externis diximus, omnia vaſa, viſcera, & humores in ſuis functionibus labefactari, hinc omnes coctiones, ſecretiones, excretiones depravari in ſenio ſummo, adeoque & reparationem perditi non amplius fieri: non propter defectum humoris alicujus radicalis, & primigenii irreparabilis, vel appoſitionem quandam jam ab infantiâ degenerem, ut quidam ſtatuere medici; nequaquam: optime enim rurſus dicit *Verulamius*, quod poſt declinationem & decurſum Ætatis, ſpiritus, ſanguis &c., facile repararentur, ſi modo organa has partes reparantia non deficerent; ſed hæc activitate ſuâ & viribus minuta functiones amplius exequi non valent, quibus tum fit, ut omnia paulo poſt ruere incipiant; ſic ut illæ partes quæ in natura ſuâ reparabiles valde erant, tamen deficientibus reparationis organis, tandem penitus deficiant. Adeo ut, poſtquam homo aliquamdiu vaſorum minimorum jacturam paſſus eſt, tandem ſoli humores craſſiores per vaſa majora lenti decurrant, & Vitam ſolam abſque animalibus functionibus, ut egregie Clariſſ. *Boerhaave* dicit, ſuſtentant; vivunt tandem Senes quidem, quatenus arterias habent, non vero, quatenus nervos: donec tandem, vitâ adhuc protractâ, mors inevitabilis, naturalis & pure ſenilis, his Senectutis ærumnis finem imponat, & illi, ut lampas olei defectu, extinguantur. Hæc eſt illa εὐθανασία, quam ſibi tantopere precatus fuiſſe dicitur *Auguſtus Cæſar*; & quæ obſervata dicitur in *Antonini Pii* exceſſu, quando non tam mori, quam dulci & alto ſopore excipi videretur. Adeo ut revera hæc non ſit parva felicitatis pars Senibus conceſſa, ut cum *Verulamio* loquar, illis præbens, abjectâ prorſus omni ſanitatis ſpe, exceſſum è vita magis lenem, & placidum. Neque ex iis, quæ diximus, difficile videtur hujus mortis naturalis & inevitabilis, utpote ex ipſius vitæ actuoſitate ſequentis, cauſam aliquomodo deducere: ſc. in ſummo Senio, vaſculis minoribus omnibus fere deſtructis, ſolam circulationem per vaſa majora fieri diximus; verum hiſce vaſis majoribus robur, ſive reſiſtentia continuo magis magiſque augetur ſupra vim liquidi, ſive ſanguinis propulſi, unde arteriæ ſuæ dilatationi reſiſtentes retropellunt ſanguinem verſus

cor,

cor, unde cordi nascitur major resistentia quam superare valet, unde tunc sanguis quasi stagnare incipit ad cor, inter hoc & arteriarum pulmonalium extremitates, unde tunc tandem suffocatio & mors. An potius hujus mortis causam derivare quis vellet a tubulis minimis cerebelli destructis & abolitis; unde tunc spiritus, ad cor fluere impediti, illud impotens reddunt propellendi sanguinem iterum, quo tunc mors placida produci debet? Certe non improbabile videtur, quod ipsa vasa cerebelli tandem etiam quasi occludantur, quemadmodum vasa sensuum subtilissima. Sed ut finem Dissertationis faciamus, dico paucis, ex iis quæ diximus de senilis corporis structura, deque ex hâc sequentibus læsis functionibus, patere, cur quidam morbi hominibus ætate provecta valde fiant proprii, & cujus indolis hi sint. Et quare dixerit *Hippocrates*, quod morbi, qui Senibus accidunt, sint longi, sed debilius eos afficiant, & maxima ex parte concomitentur ad mortem usque? Videmus sic etiam cur homo morte naturali vel fato senili extinguatur, & quo tum morbo? Quodammodo etiam intelligimus ex dictis, quid statuendum de vitæ prolongatione per medicamenta sit, ut jactant quidam Chemici? an, & quousque hæc arti possibilis sit? Tandem etiam colligere facile est, quis victus, quæ vita, quæ medicamenta Senibus conveniant? De quibus, quædam adhuc cum dixero, huic Dissertationi finem imponam.

§. 33. Unam eandemque victus rationem omni Ætati haud convenire, sed pro variâ Ætate corporisque habitu aliam victus rationem esse ineundam, diligentissime Medicæ artis nobilissimæ fundator monet *Hippocrates*; hinc Medicus ad hæc ut attendat oportet. Sic infanti tenello dentibus destituto, & cui viscera sunt debilia, non conveniunt iidem cibi potusque, qui juveni, & viro robusto, sed tales, qui nec dentium, neque viscerum actione valida indigent. Eodem quoque modo se res habet cum Senibus, quibus, propter plerasque corporis functiones destructas, labefactatasque, alia longe victus ratio concilianda est, quam juveni aut viro robusto: Senibus enim primô, cum destituuntur illo bono, quod ab actione dentium cibis accidere solet, tales cibi sunt adponendi, qui masticatione saltem efficaci non egent, hinc ciborum expressiones, minutæque concisiones illis conveniunt. Sed secundô, quia sub Senectute omnium

coctionum facultates deciduæ fiunt, adeoque & ipsa nutritio vacillat, propter defectum vasorum humorumque subtilissimorum, & horum actionum, unde tale corpus ut emacietur, & exarescat quasi, necesse est; hinc dico requiruntur talia, quæ defectum hunc aliquomodo resarcire queunt; ergo dentur tales cibi potusque, qui magna viscerum, vasorumque actione non egent, quique ante assumptionem jam in se continent tales partes nutrientes, quales in isto corpore, si sanum robustumque esset, fierent: tales sunt lac, præcipue muliebre, sanum, à bono chylo factum, si hauritur suctu, ne in aëre perdat subtilissimum illud spirituosum, unde longe minus illud coquere convenit: lac asininum, caprinum, bubulum huc quoque spectant: jura carnium animalium sanorum scil. rite præparata, ne etiam subtile illud exhalans avolet inter coquendum, hæc tunc jura in se continent partes animalium subtilissimas, ad restaurandas Senum vires aptissimas. Huc nunc quoque spectant multa alia, ut ova, si eorum albumina recentia, lacte diluta, sine ullo igne assumantur; hæc enim tam proxima sunt materiæ nutrienti, ut magna in corpore præparatione non egeant; ex ovi enim albumine, spatio 24. dierum fiunt omnes animalis partes, ne ossibus exceptis, adeo ut hoc in se contineat talia elementa, unde omnia hæc fiunt. Contra, vitanda in senio summopere puto omnia calida, stimulantia, aromatica, quamvis sub titulo stomachicorum, & coctionem promoventium dentur, hæc enim augent causam, unde tot mala; h. e. subtilissima dissipant, & vasorum consolidationes & exsiccationes promovent. Verumtamen, ut spiritus quodammodo reficiantur, assumant Senes pro potu vinum molle, edentulum, aquâ dilutum, nam vini meraci valde, & spirituosi usus depascit nimis spiritus, & rorem corporis blandum superstitem adhuc; unde siccis & Senilibus corporibus non propinandum putarem. Verum, omnibus hisce quamvis summâ cum cautelâ adhibitis, tamen propter debiles coctionum facultates, & longas ambages, quas requirunt alimenta antequam nutriant, videntur quoque summopere Senibus conducere aliæ auxiliares nutritiones, ut per balneationes, unctiones, clysteria, halitus, fotus, similiaque: referri huc quoque potest, subtile illud exhalans ex corpore hominis juvenis sani & robusti, quod juxta observationes mi-

mira in ſenilibus corporibus ſæpe præſtitit, & cujus effectus jam à longo Medicis haud incogniti fuere: ſic legimus Regi Davidi, cum jam præ ſenio langueret, præſcriptum fuiſſe, ut in eodem lecto cum Rege decumberet Virgo juvenis, ſana, & robuſta, procul dubio eum in finem, ut Rex attraheret ſubtile illud exhalans. Obſervatum quoque fuit, quod Senes, qui juvenum ſodalitio frequenter ſe dedere converſatione non interruptâ, longævi fuerint; ut conſtat de *Pythagorâ* & *Iſocrate*, quotidie inter diſcipulos juniores verſatis, hi enim ad centeſimum vixere annum. Vulgare quoque fuit receptum olim, ut ſcil. viva animalia fomentorum inſtar corpori applicentur: ſic dicitur quidam *Barbaroſſa* ad extremam provectus Ætatem ex conſilio Medici Judæi continuo ventriculi regioni applicuiſſe puerulos, cum optima certè virium reſtauratione: & quæ plura ejuſmodi.

§. 34. Quod exercitia vel functiones corporis & animi attinet, horum etiam ratio eſt habenda: ſcil. cavendum in ſenio eſt à laboribus exercitiisque magnis, hæc enim ſpiritus ſuperſtites nimis diſſipant, & Senectutem adaugent. Verum contra ſenile corpus ſe ſenſim magis magiſque ad quietem componat; hinc frequens dormitio in Senectute quam maximè ab egregio *Verulamio* laudatur; hæc enim compeſcit deprædationes ſpirituum, & diſtributionem alimenti ad partes promovet, unde & revera ſomnus corpus nutrit; docent hoc exempla plurimorum animalium, per integram hyemem dormientium, ſine ullo interim aſſumpto cibo: hinc ſomnus quotidie poſt prandium Senibus debilibusque corporibus utilis præſcribitur. Animi autem affectus ſenſim magis magiſque moderandi ſunt, nec tamen omnino ſupprimendi, ſed habeant aliquid, monente *Verulamio*, quod cogitationes & animum ipſorum placidè detinere poſſit, ut ſunt ſtudia ædificandi, plantandi, &c. Confortationi ſpirituum ſummoperè conducere dicitur, ſi Senes acta pueritiæ vel adoleſcentiæ ſæpius recordentur, quæ recordatio tanquam peculiaris illis eſt recreatio. Vitandi ſunt in ſenio omnes vehementes animi paſſiones, ut gaudia ſumma, ira, triſtitia, mœror, metus, &c.

§. 35. Medicamenta vero quænam Senibus ſint propinanda, unuſquiſque, credo, qui ad morboſam totius corporis ſtructu-

ram, & ad morbos inde resultantes attendit, percipiet: in hisce enim propinandis magna est, quoad varias Ætates, differentia: quis enim infanti tenello, recenter nato, nervoso valde, propinare acria, stimulantia, & moventia valde auderet? Certe abhorremus si modo de symptomatibus ab his adhibitis productis cogitemus. Ergo, ut Medicus ad hæc attendat, oportet; quantâ enim cautelâ, & circumspectione in his semper utatur Vir expertissimus, *H. Oosterdijk Schacht*, *Præceptor meus fidelissimus*, *nunc Promotor exoptatissimus*, *in æternum venerandus*, norunt illi, qui virum hunc Praxin profitentem, & coram ægris exercentem toties mecum audiere & videre. Eodem fere modo se res habet cum Senibus; nocet quoque ibi auxilium quærere in calidis valde spirituosis & fortibus, nam hæc, ut bene monet *Verulamius*, pro tempore quidem flammam excitant, hâc vero extincta, magis iners & oppressum relinquitur corpus: sed è contra senilia corpora tantum irroranda & emollienda sunt, ideo mel cum vino admisto, similiaque, senilibus corporibus summa sunt remedia, hæc enim corpus laxant, & spiritus nonnihil excitant. Ne autem senilia illa corpora propter virium defectum, crassis lentisque humoribus, & fæcibus obruantur, & sic cito suffocentur, hinc horum excretiones tutissimis remediis adjuvandæ sunt, per saponacea sc., ut sunt rursus mellita, saccharina, &c. præcipue si his admiscentur crocus, sal, gummi aromatica, similiaque talia. Ariditatis quoque senilis egregia sunt remedia, fotus, inunctiones, clysmata, ex emollientibus, blandis & oleosis; quantum enim hæc præstent solatium, docebit inter veteres Medicus optimus *Hippocrates*; nam hæc omnia durata emolliunt, tensa remittunt, siccata humectant, excrementa eliciunt. Vapores, suffitus ex odoratis, suavibusque huc quoque spectant, nam spirituum confortationi mire conducere observantur; ut præparentur ex jasmino, melissâ, rosâ, malo aurantio, citrio, similibusque. Hæc tamen omnia, neque specifica à quibusdam Chemicis, Vitæ prolongandæ proposita remedia, vitam in numerosos adeo annos sanam protrahere posse, probabile est: sed è contra, voluntatem divinam dies hominum ad annos 70. vel 80. ut plurimum protraxisse, multis interpositis miseriis, atque tandem, mortem inevitabilem, utpote ex ipsa sanitate sequentem, hisce ærumnis tanquam finem imposuisse, credimus. En,

En, B. L. quæ de Senectute, ejusque morbis, pro specimine inaugurali exhibere decrevi. Plura, fateor, pulchra addere potuissem, & forte addenda erant; sed moles nimia jam, temporisque penuria, & materiæ gravitas, ne latius exspatiarer, obstitere: hinc, ut eodem animo, quo ego tibi offero, pauca hæcce accipias, enixè rogo.

FINIS.

HONORI ET MERITIS

Egregii Juvenis,

PETRI BUTEUX,

Cum post habitam de MORBIS SENECTUTIS *Dissertationem Medicinae Doctor crearetur.*

PETRUS ovat, victoque refert ex hoste triumphum,
Spes Valacrûm, Valacri plaudite, PETRUS ovat!
Ille Machaoniae lectissima portio turbae
Ornatur titulis, nec sine laude, novis.
Gratulor O! tantis dignissima munera curis,
Pirithoi dudum foedere juncte mihi!
Labitur en! nitidis quae laurea serta capillis
Nectat, ab aethereo docta Minerva polo;
Nec, tibi quò summos Divina tradat honores,
Terricolas renuit Phoebus adire, manu;
Nec satis hoc; superûm namque agmine cetera facto
Applaudit meritis capta caterva tuis;
Non minus auspiciis foecunda Valacria certis
Messopolisque suo cive superba favet:
Vicinus quoque ridet ager, campique patentes
Gratanti resonant murmure, PETRE veni!
Jam tibi porrigitur Neptunia dextera, quae te
Mattiaco vegetum reddat, ut ante, solo;
Et, dum tergemina quatit undas cuspide, curet,
Illidat coecis ne cita prora vadis:
Tuta sub Aeolio fluctus tua numine findet,
Adsideat puppi cum Thetis ipsa, ratis.
Littora quam dulci strepitant Zelandica cantu,

Et

Et placidum ventis ſtans mare fauſta ſonat!
Obvia procedit laetanti voce juventus,
Et teneras tendit blanda puella manus;
Cernis, ut adrepat firmis innixa bacillis
Quae petat auxilium languida turba ſenum.
Reddiderit priſcum ſocero Medea vigorem,
Nil mirum! magica nam fuit arte potens;
Tu rigidae morbos, teſtor tua ſcripta, ſenectae
Non niſi Phoebea doctus ab arte levas.
I felix! promtuſque tuis ſuccurre medendo,
I! pete Mattiacos Doctor, amice, lares.
Quod ſupereſt, Valacrûm dum mox Podalirius audis,
Et patria morbos pellis ab urbe graves;
Auguror, en! nec falſa cano, cariſſime, vates,
Inſolitum laeſo pectore vulnus ales,
Quod neque vel ſollers poterit curare Machaon,
Sed poterit lateri juncta puella tuo.

JOANNES OOSTERDYK SCHACHT.